

### III.

## NEOVIDENSIS

Nro. 54. (*Neovidensis* 1808. Nro. 53.)

---

*Sermo Politicus.*

De Mercibus Colonialibus.

---

Elysium-Meum. - Die Veneris 15. Julii. 1808. (Neov. 28. Junii. 1808.)

---

*Somnia mea hodie aut cras non implenda quis sit?*  
*Weirze.*

**I**ndulgeamus, si lubet, cum Annalibus Europæis somnio, esto somnium *de surrogatis mercium Colonialium*, quod hodie *gratissimum speculantium* argumentum est, sit ita! quis scit, somniumne nostrum brevi post tempore implendum sit?

Concipiamus mente fortunam in vicem fabæ Indicæ, Sachari, Gossypii, Indici, quorumvis Indicorum Aromatum, lignorumque tinctorum *Surrogata domi nostræ*, & in medio nostri nos reperturos; porro expendamus, & largiamur: non Germaniam modo, sed quosvis orbis Status eandem fortunam adepturos, ut, amabo, intra medium seculum se res haberent Europæ? — Minimum ad Culturæ gradum Sinensium delapsi essemus, & exacto seculo eum, quem Irokessii tenent, obtineremus. Eotum nullum amplius *Commercium*; quippe quævis naturæ producta domestico solo progignantur, nullæ pro ejectione mer-

cium laborantes *Fabricæ* deinceps habebuntur, nam exera ora æque felicitatem pro omnibus surrogata reperiendi adepta, nullæ artes, has etenim alit sovetque continuo, medio commercii in *circulationema* deducta, non sexcentis claustris servata *pecunia*. Scientiis carere licebit, quippe: ubi domestico necessitatum omnium desiderio satisfactum, fomes plerarumque commercialium expeditionum, bellorum, litium, & speculationum sublatus, hoc ipso omnibus Geographis, Historicis, Tacticis, Causidicis, Commercialibus & Cameralibus Collegiis plus dimidia parte carere licet Nulli deinceps Tractatus Commercialia, proin non opus ullo Diplomatico, nullis legatis, nemo amplius *itineratur*, nec rerum curiosi quidem, nam omnia domi reperiunt, nec linguæ discendæ, nec exterorum conversatio expetenda posthac. Ex omnibus scientiis sola *Astronomia* ad oblectandam tædio correptam aulam superest, ut in Sinis, solaque *Medica* ambitum patientiorem sphaeramque ampliorem habebit, quia delicata surrogata pedetentim omnes ventriculos corrumpent. Eorum felicitate fruemur, *Commercialis* intra se clausi status, quem nihil nisi popularis beatitudo consequetur, omnia in suo territorio habendi, dives, mediocrisque, moræ tædio corripietur, cum in *apice perfectionis* positus, nullius amplioris cupiditate feretur, nec ferri poterit, nisi *Ideale* præclusoriæ societatis menti eorum obversaretur; in qua paterfamilias fabam arabicam Zacharumque in hortulo domestico planta-

tum in vicem tritici, quod filius familias in agro seminat; & lanæ quam aliter filius pastor, suppeditat, permutet, eorumque conjuges pro hujus elaboratione crudis naturæ productis exsolvantur.

Ante vero lætemur, quam hoc perfectionis fastigium attingamus, orbem adeo feracem productorum, adeo amplum, & tamen speculantibus nostris mensurabilem esse; ei imprecemur, ei, qui maris dominium asserit suum, eum contra extollamus, qui ei liberando studet, ejusque vastum ambitum necessariis commoditatique nostræ servientibus reserare cupit — tam parum potui arabico & sacharo, gossypioque renunciandi nobis voluntas est, quam vini nostri, at contendendi consilium est, eorum natali solo ut propius accedamus, eorum degustationem ab amara recordatione: eam mancipatu partis generis humani redemptam esse, eximamus, neque solum quantum fieri potest, pecunias paucissimas pro iis expendamus, verum ut æquales summas medio maximæ multiplicationis necessitatum primæ Classis denuo redeant, efficiamus. Nostri Statistæ, moralistæque de simplificatione necessitatum, quibus satisfacere nequeunt, loquantur, magnificeque prædicent ut volunt, pro fortuna nihil efficient præter veritatem evictam, quam levis eorum luculenta contemplatio ab eo sit, quod artes scientiasque alit, quodque per industriam & commercium humanum genus ad evolvendas nobilissimas facultates perducit, ipsamque vitam volupt, dulcedinis, pretiique plenam reddit.

Germania turget omnis generis systematibus, adeo, ut si subito in lapidea ædificia converterentur, patria nostra Sinensi muro cincta, adversus exteras adgressiones defendi posset. In tanto continuo se excipientium Systematum torrente, unum fortassis publicam lucem non aspernaretur, quod universæ Germaniæ saluti cederet & cujus executio non omni prorsus destituitur probabilitate, præcipue si Imperantis quæpiam auris id excipere dignatur. — En ejus argumentum!

Memini uspiam de necessitate Europæ novum Colonicale Systema habendi sermonem habuisse, hæc necessitas videtur in Gallia, quæ absque Colonis subsistere nequit, neque veteres recuperandi potis est, atque organisandi, in Gallia inquam maxime sentiri videtur. Adparet, Imperio huic consilium esse, Colonias Americanas cum productis suis ad oras Africanas maris Mediterranei transplantandi, & cum enormi hocce emolumento gloriam quoque sibi asserendi mancipatum fœdum Nigritarum, & prædocinia piratarum, duo hæc flagella & labes generis humani in ævum tollendi. Id certum: Galliam Anglis Mare Mediterraneum præcludendo, una præcipuam eorum Commercialis Despotiæ partem confringere. Jam jam pax cum Algerio confecta, fortassis sub proximis adjunctis expeditio in Africam, quæ Europam percelleret, at non sufficit oris illis potiri, durabili etiam ratione eæ occupandæ, quod sola Europæarum Coloniarum missione perfici pote-

rit, quanto plures Coloniae traductae, tanto certior possessio illius veteris orbis partis; tanto propior, eoque facilius usus productorum australium, quae nobis jam ad vitam necessaria facta sunt. Gallia sola eas ditiones Colonis providere nullo modo potest: & hoc est, quo Consilii rationes tendunt mei: — *Germaniae Imperantes aequae Colonias eo deducant.*

Liceat hujus consilii levem texere adumbrationem, quin sapientiam secretorum Conclavium attingamus; politicum hoc somnium saltem eam praestare poterit utilitatem: nebulosas cogitationes nostras exhilarandi, tantoque audacius prodeoque praevie persuasus sim, turbam Caffae potatorum & — Cameralistarum pedibus in nostram sententiam ituram.

Quare somnio: Galliam evasuram dominam orae Africae; & regionis, quamquam pacifici Incolae indigenae non expellantur, praesto nihilominus est amplus tractus inculti soli, quem colendo Colonistae Galli haud sufficiunt; eumque defendendo, proin Conventionem principes Germaniae ad idem suscipiendum invitentur; Dominium eminens, omniaque Jura Majestatica in novo hoc Coloniali territorio Galliae competit; at ditiones germanicis Colonistis cessae ceu *domania* principum considerantur, qui subditos eo expedivere; quo facto, hi principes intuitu suorum bonorum Coronarium in Africa, ad Galliam in ea ratione sunt, in qua mediati principes ad eos ipsos. Quamvis omnes Colonistae proprietatem bonorum haberent (sine hac enim nulla Civitas, Colo-

nia nulla floret) id nihilominus non obstat, quo minus Colonistæ *decimam* suorum productorum fabæ Indicæ, Sachari, gossypii aliorumque productorum australium veteribus suis Imperantibus in signum acquisiti dominii dependant. Jam expendatur proventus ærarialis, si quotannis aliquot expeditiones navales Caffea, gossypio, Sacharo aliisque australibus productis eo adpulerint! — Nullæ in eas faciendæ erogationes, quam quas salaria Decimatorum deprecant, qui in Africa perciperent proventus, totaque vis aeris, quæ ante pro immensa horum productorum Copia Cæcothem Anglicanam subivit, nunc ærarium locupletat, eritque Caffæe abundantia, proin pretii levioris.

Accedit: quod præter hanc œconomiam, bona adhuc pars quanti indigentia per domestica producta & Fabricata permutari possit, quæ Colonistæ ex naturali in Civitatem matrem propensione aliis quibusvis præferunt. Ex hac ratione in Coloniis *nundinas* ita dictas *clausas* erigere necessum non est, (in quibus ut olim in hispanicis, gallicis & hodie in Anglicanis Coloniis, producta matris solum Civitatis venduntur, contra Colonistis merces necessarias solum ex metropoli emere licet). Nihil floræ Coloniæ magis officit, quam *monopolia*, incolaque meridiei per id nimis quantum ad, donis liberalis utique Climatis sui, aquiescendum invitatur; quippe nisi libertate commercii gaudeat, qua per industriam opes sibi procurare possit, tum omnibus mediis or-

batur suis vitæ necessitatibus succurrendi, vias promerendi multiplicandi, atque fabricatis explendi; hæc in commercio violentia, causa fuit, quod Gallia & Hispania cum omnibus Colonis & fodinarum opibus non eum vigorem, rei commercialis florem, eaque energica emolumenta perceperit, quamquæ in Græciam ex liberis suis Colonis redundaverant.

Dicitur quidem: tempore opus esse, usque fructus id genus consiliorum percipi possint! Minime gentium! gossypium herbaceum quotannis seminatur & fructus fert, faba Indica & Sacharum quovis triennio in agro maturitatem attingit; solum africanum adeo uber feraxque est: ut indigenæ glebam leviter tantum scindere, eique semen imponere soleant, & trigesies illud reddit. Clima salubre, nec paludibus nec saltibus horrescit, ut Insulæ Indiarum Occidentalium, *opera manualis*, quam Nigrita cum crudeli, qua tractatur ratione consecrat, vomere & machinis compensatur, atque Colonus Europæus productis australibus minorem operam navabit, quam colendo patrio solo impendit. Jam expendatur apud annum germanica industria, & inveniendi nova facultas per Colonias has promota, quæ nonnulli domi ad incitas vergenti campum novum aperiet, ex quo flos harum ditiorum intra 50 annos colligi potest. Et quercus semen modicum est, & seculis ad perfectam maturitatem eget; Nova Germania in iis regionibus excitari, florentior senescenti Boreali Germania reddi, atque nepotes nostros ve-

re propagare poterit. Status diuturniore tempore opus habent, at temporis diuturnitate minime absterri nos sinamus, jaciendo semine, quod satori amœnissimos protinus largitur fructus, sed quid ago somnare me, obliviscor! —

W.

*Correctoria Appendix.*

*Nro. 47, l. a. pag. 371 & 3 Neovid. Ephem.*  
de parte Germaniæ præprimis Statibus Rhœnani Fœderis celebratur: tres grandes cujusvis *Unionis Civilis* fundamentales rationes, quæ *Justitia & vires societatis civiles* nituntur, continuuo magis agnosci, & in effectum deduci, quæ sunt: 1) *Aequalitas Jurium* 2) *Aequiformitas onerum* & 3) *Conscientiæ libertas*. Paulo infra *Morarchiæ Austriacæ* vicem dolet auctor, quasi cum genio temporis non æqualiter progrediretur, & *Reformationem* adeo necessariam differret! Cum vero apertum sit: pium in hoc desiderium *Ignorantiæ Austriacæ* Constitutionis inniti, liceat mihi, cui ex tricennio hoc Statu vivendi & cogitandi fortuna obtigit, auctori memorati asserti, ex pari pio desiderio aliquod solatium super ejus reali effectu, largiri.

*Continuabitur.*